

„ in Jesu reperiri causam satis dignam morte, aliam
 „ rationem ipsum dimittendi tentat; nimirum, ut quo
 „ Judæis aliqua saltem ex parte satisfaceret, Jesum
 „ flagellis subjiceret, ac sic flagellatum dimitteret.
 „ Apud Romanos duplex erat flagellorum usus, quo-
 „ rum alterum ultimum supplicium præcedere con-
 „ sueverat, nimirum ut cum quis capite plectendus
 „ esset, prius virgis cæderetur: alter vero, qui ad ali-
 „ cujus levioris delicti emendationem inferretur, non
 „ tamen usque ad mortem: Licet ministrorum imma-
 „ nitate multi, etiam sub hujusmodi flagellis, inter-
 „ iisse, reperti sint; ut Ulpianus Juris consultus testa-
 „ tur. (*l. 8. D. de Pœnis*) Præsides Provinciarum ad
 „ coercendos delinquentes citra mortem, vel exilium,
 „ ejusmodi pœnas, tradit Calistratus (*l. 6. in fin. &*
 „ *l. 2. D. de Pœnis*) exhibere consuevisse; videlicet fu-
 „ stium admonitionem, flagellorum castigationem,
 „ vel vinculorum verberationem. „

Post quæ verba, ad rem nostram addit: „ Mini-
 „ stros vero, qui ad has inferendas pœnas Præsidi-
 „ bus ministrabant, fuisse Brutios, tradit Festus Pom-
 „ pejus, (*Fest. Pomp. in verbo Brutiani*) & Aulus
 „ Gellius, (*Aul. Gell. lib. 10. c. 3.*) qui prædictos in
 „ pœnam, quod a Romanis ad Hannibalem defecis-
 „ sent, hac ignominia notatos, ut magistratibus in
 „ provincias euntibus parerent, & ad infligenda sup-
 „ plicia delinquentibus suam operam exhiberent. Pi-
 „ centes vero, quod ad eundem Hannibalem defecis-
 „ sent, Romana Civitate privatos, loco militiæ cur-
 „ sores ac tabellarios esse, eoque munere reipublicæ
 „ inservire damnatos, auctor est Strabo. (*Strab. lib. 5.*
 „ *in fin.*) An vero a prædictis fuerit Christus flagella-
 „ tus, asserere non auderem. Nam alicubi, ut in Ægy-